



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 2. Quotuplex sit ens, quotuplex essentia, & quotuplex existentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Disp. IX. De ente, essent exist. &c. Quæst. II. 191

definibilem, & non definibilem alibi tradendam à nobis. Vnde infero contra nomullos, quos tacito nomine refert Quied. *controu. 1. Metaph. punct.* 1. male ab eis definiti, seu explicari ens existentielle potentiale, quod solum videntur agnoscere, per oppositionem cum chymerà. Non hoc est explicare habitum per ordinem ad carentiam sui; cum tamen è contra fieri debeat; eo quod carentia non est cognoscibilis nisi per ordinem ad habitum, quem ipsa remouet. Chymera quippe à negatione potentie ad existendum habet esse chymaram: atque adeo per oppositionem cum potente existere, quod est ens existentielle potentiale, est cognoscibilis, seu explicabilis. De quo plura *infra suo loco.*

12. Obseruandum tamen est primò. Essentiam vniuersualem; rei, prout iam ab omnibus vsurpatur, aliis præterea nominibus solere indigiti. Dicitur enim quidditas rei, quia ad quæstionem. *Quid rei est per illam respondetur.* Dicitur rei substantia, quia & per se stare, & ceteris conceptibus, qui illi quoquo modo accrescunt, siue adiciuntur, aliquatenus substatre concipiuntur. Dicitur forma: quia ab illa habet res, quod sit talis, in talive specie, & non in alia. Dicitur denique natura: quia est veluti principium, & radix omnium operationum, omniumve actuum, qui vel sunt quidam motus eius aut actiui, aut passivi; vel instar talium concipiuntur ex proprio actus conceptu. Natura quippe propriè sumpta nihil est aliud, quam principium, & causa motus, & quietis eius in quo est, ut definit Arist. *lib. 2. Physic. cap. 1. & lib. 5. Metaph. cap. 4.*

13. Secundò obseruandum est subiectum concreti entis, quouis ex dictis modis accepti, rem antiquitùs nuncupari. Iam tamen vulgo nomen *res* pro totà entitate cuiusvis entis, prout physicè iacet, sumi solet. Vtrius tamen modo acceptum æquiuocum nomen est: quia ad plura dissimilia vt talia significanda accipitur. De quo plura dicemus *infra disputatione 17.*

14. Tertiò obseruandum est, nomen *Entitas* ex sua primæuâ etymologiâ actum essendi essentialem, siue identitatem significare, vtpotè quod abstractum quoddam entis essentialiter sumpti est. Iam tamen pro totâ & integrâ re solet sumi communiter. Sicque propterea expedit, vt semper à nobis sumatur.

15. Quartò obseruandum est particulam *aliquid* iuxta suam primæuam etymologiam significare *aliud quid*, siue distinctum à reliquis. Communiter tamen non ita accipitur; sed pro quauis re quauisque rei formalitate, & vniuersè pro quouis omnino ente, quauisve essentia conceptibili. Quo etiam sensu vsurpantur particule *quidpiam*, *quiduis*, & alia æquiuales.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit ens? quotuplex essentia? & quotuplex existentia?

16. *S*uppositis variis acceptionibus entis expositis *quest. 1. Noto.* Cum ens quouis ex illis modis sumptum concretum quoddam sit metaphysicum coalescens ex subiecto tanquam ex materia, & ex actu tanquam ex forma, iuxta dicta *disputatione 2. quest. 4. Consist.* 3. ex utroque capite posse illud diuidi imprimis potest in ens conditionatum, & absolute. Tum in ens determinatum, & vagum. Ac

rursus eorum quoduis in ens præteritum, præsens, & futurum, &c. Quia quilibet actus constitutus ens siue secundus, siue primus, siue existentialis, siue essentialis, aut conditionatus, aut absolutus, aut determinatus, aut vagus: aut præsens, aut præteritus, aut futurus, &c. considerari potest. Verum de hisce membris diuidentibus multa in *sequentibus* sunt dicenda. Quò illa propterea explicanda, atque definienda remittimus. Patetque quotuplex sit existentia; & quotuplex etiam essentia sumpta pro identitate, pro actiue essendi substantiuo, seu essentiali.

Deinde ens essentialè ratione formæ in ens per se, & ens per accidens est diuidentum iuxta doctrinam traditam ab Arist. *lib. 5. Metaph. cap. 6. & 7. & lib. 7. cap. 1.* Ens per se illud dicendum est, quod per se, & ratione sui habet esse id, quod est. Per accidens verò, quod id habet ratione alterius conceptus sibi adiacentis. Vnde ens per accidens, vt constat ex Arist. loco citato, duntaxat est concretum, ex subiecto & actu, seu formâ adiectiue vsurpatum; id est, sumpto subiecto in recto, & forma in obliquo. Reliqui enim omnes conceptus, qui substantiue vsurpantur, sumptis directè, & ex æquo omnibus ex quibus coalescunt, non possunt non esse entia per se, quicunque illi sint, siue compositi, siue simplices. Cuius doctrinæ ratio ea est, quam iam *quest. 1. tetigimus.* Quia nimirum, quando concretum adiectiue sumptum prædicatur aut de se toto, aut de subiecto, actus essendi, qui interponitur, duntaxat identificat ea, quæ directè accipiuntur, nempe subiectum ipsimet. Vnde quidquid aliud dicitur esse subiectum præter se ipsum, id accidentarium est ipsi: atque adeo ipsum per accidens tale quid est. Vide id in hac prædicatione *Petrus est albus.* vbi verbum *est* tantum identificat Petro ipsam Petri substantiam, quam confusè, directè tamen dicit conceptus *albus*, connotata in obliquo albedine. Quo fit, vt Petrus per accidens sit tale ens, nempe ens album. Tantundemque euenit, quod ad rem attinet, cum prædicamus *album est album*, accepto hoc concreto adiectiue: quia vt sic etiam denominatio talis entis oriunda ab actu essendi tale quid, cum sit denominatio identificati cum tali quopiam, duntaxat conuenit per se subiecto concreti directè sumpto: cui accidentarium est, quod sit tale ens album. Quando verò ambo prædicationis termini substantiue accipiuntur; atque ita quidquid est in prædicato ex æquo per actum essendi identificatur subiecto; tunc ens ex tali actu coalescens nequit non esse ens per se, quantumuis sit aggregatum ex multis casu concurrentibus: quia verè subiectum prædicationis per se, & ratione sui est totum id, quod dicitur esse, quodque ex parte prædicati se habet.

Ex quibus apparet. Quoties in prædicatione facta per verbum substantiuum *esse* ponitur ex parte prædicati concretum quoduis adiectiuum, tunc subiectum ab actu essendi per tale verbum significatum euadere ens per accidens; siue tale prædicatum sit tali subiecto accidentale, vt quando subiectum prædicationis est nudum subiectum concreti, veluti cum dicimus *Petrus est albus*, siue sit essentialè, vt quando subiectum prædicationis est totum ipsum concretum, veluti cum dicimus *album est album* adiectiue: quo casu, cum ex parte prædicati nihil adiciatur non positum ex parte subiecti, prædicatio essentialis est; sed de essentia per accidens, qualis tunc est essentia subiecti, iuxta statim dicenda.

Super

19 Superest tamen anima duerendum. Quando concretum adiectiuum physicum est; eo quod subiectum, & forma physice inter se distinguuntur, ut euenit in exemplo proposito: tunc illud ens physicè per accidens dicendum esse. Quando verò concretum est metaphysicum; eo quod subiectum & forma sumpta adequatè solâ ratione distinguuntur: tunc illud ens metaphysicè per accidens debere appellari. In his enim semper seruata propositione debet procedi.

20 Ex his gradum facio ad explicandum, quotuplex sit essentia sumpta, ut iam communiter sumitur, pro eo, quod vnumquodque intrinsecè est, & adequatè ex suo conceptu obiectiuo, siue pro eo quod vnumquodque in essentiali prædicatione adequatè sibi identificat, siue coniungit per actum essendi essentialem. Etenim, ut iam *ex infra disput. 17. dicendis num. 7.* notauimus. In prædicatione factâ per verbum esse substantiue sumptum, tunc prædicatum ipsissima est essentia subiecti, quando vel sub eodem, vel sub diuersis terminis illud integrè repetit, nihil addendo, aut detrahendo. Si enim aliquid addit, aut est passio subiecti, aut accidens. Si detrahit, repetendo solum partem subiecti, aut est genus, aut differentia, aut prædicabile innominatum, vel mixtum. De quo ibi plura.

21 Igitur essentia sic usurpata in quatuor omnino membra diuidenda est. Nimirum in essentiam physicam, metaphysicam, transcendentalem, & Logicam. Quatum vnaquæque rursus in essentiam per se, quæ proprius essentia nuncupatur; & in essentiam per accidens, quæ minus proprie essentia dicitur, diuidi poterit. Essentia per se physica rei complectitur quidquid realiter est ipsa res independentè à nostris conceptibus, & præcisionibus, siue sit res metaphysicè solum composita ex formalitatibus solâ ratione nostra distinctis, siue insuper ex partibus distinctis physicè. Vtroque enim casu nulla omnino erit formalitas, aut pars rei, quæ non pertineat intrinsecè ad essentiam physicam eius. Quoniam res, prout physicè iacet, aliud non est ab aggregato omnium suarum formalitatum, & partium: per seque subinde illud totum identificat sibi. Essentia verò per accidens physica ea est, quam habere dicitur concretum adiectiuum physicum, dum illud integrum de se ipso prædicatur; ut si dicamus. *album est album.* In tali enim prædicatione dumtaxat identificatur per se subiectum physicum albedinis sibi ipsi, quod solum sumitur in recto; per accidens vero intrat prædicationem forma, utpote connotata in obliquo. Propter quod etiam subiectum forma in quouis concreto adiectiuo physico essentia physica per se talis concreti dici poterit: quia videlicet illud solum sibi per se identificatur, hoc ipso, quod illum solum de se ipso prædicatur directè per verbum substantiuum esse. Tum etiam quia forma huiusmodi concreti non potest non esse affectio physica subiecti, cuius forma est, de ipso tanquam de essentia denunciabilis aut demonstrabilis, per modum accidentis eius, vel per modum passionis.

22 Quo eodem iure factum est, ut etiam in concretis metaphysicis adiectiuis subiectum dumtaxat formarum essentia per se metaphysica eorum veniat appellandum, ut optime appellant quicumque bene sentiunt & loquuntur de essentiis rerum. Quia illud solum est in istis concretis, quod prædicatur de se directè per verbum substantiuum esse, quando concreta prædicantur, & consequenter, quod sibi ipsi identificatur per se, prout ad essentiam per se requiritur. Tum etiam, quia formæ omnes, siue

actus talis subiecti non possunt non esse passionis, vel accidentia metaphysica, quæ de ipso tanquam de essentia aut demonstrari possunt, aut enuntiar. Etenim ut ex dictis *disput. 2. quest. 4.* liquido apparet, huiusmodi concreta metaphysica ex subiecto, & actu coalescunt, quibus intellectus noster eget ad iudicandum, etiam quando iudicat de re id, quod realiter est idem cum illa. In quolibet autem re reali vnum tantum concipit intellectus subiectum radicale omnium actuum, quos ei per varia iudicia attribuit. Neque à multitudine subiectorum, sed tantum à multitudine actuum, siue formarum provenit, ut eadem res plures formalitates etiam concretè sumptas habeat, ut homo formalitates viuentis, sensibilis, rationalis, &c. quarum quælibet subiectum omnibus commune dicit in recto, actum verò, seu formam propriam in obliquo; & ideo vna de alterâ ratione subiecti utriusque communis vere prædicatur in sensu formali, ut animal de rationali, aut è contra; qualiter vnus actus abstractè sumptus de altero, aut de subiecto prædicari non potest; ut animalitas, quæ est potentia viuendi, & sentiendi, de rationalitate, quæ est potentia ratiocinandi. Vnde iuxta ordinariū, & naturalem modum nostrum res concipiendi, solum subiectum metaphysicum in singulis rebus à nobis conceptum prædicatur substantiue de ipsâ re, reliquæ autem omnes formalitates adiectiue. De quibus plura in eâ *quest. 4.* citatâ.

23 Ex quo manifestè consequitur solum prædicatum subiectum esse essentiam rei metaphysicam propriè, & per se loquendo: reliquas autem formalitates, aut esse passionis eius, aut accidentia metaphysica veluti oriunda à tali subiecto vel radicata in ipso. Id quod exinde confirmatur: quia primus conceptus, quem de vnaquæque re formamus, conceptus dicti subiecti est: quandoquidem de illo prius apprehenso iudicamus ceteros omnes, quos subinde discursu, aut aliter rei conuenireprehendimus. Compertum est autem essentiam metaphysicam rei, illum rei conceptum dici debere, qui ceterorum primus, ac veluti principium, & radix eorum est. Cum enim reliqui primo accedant, & adiciantur, non possunt non illi omnes esse primi affectiones, atque adeo vel passionis eius, vel accidentia; qualis non potest esse primus respectu aliorum: quare necque ille potest non esse essentia; neque aliorum aliquis essentia esse potest; quandoquidem nullus est possibilis conceptus rei, qui vel non sit essentia eius, vel affectio essentia.

24 Exemplo doctrinam hanc illustremus. Cernit quis eminens rem quandam, de eaque per visum apprehensa, ut de subiecto quodam iudicat existere seu esse existens. Deinde iudicat posse moueri. Postmodum posse sentire. Denique posse ratiocinari. Et postremo posse ridere. En eadem subiecto principio apprehenso attribuit homo per iudicium omnes hos actus, nimirum actum existentia; actum potentia ad se mouendum; actum potentia ad sentiendum; actum potentia ad ratiocinandum, & actum potentia ad ridendum. Ex quibus totidem concreta metaphysica emergunt, vnicum idem subiectum dumtaxat habentia, nempe ens seu existens, mobile, sensitiuum, rationale, risibile. Quod quidem subiectum vnicum primum & radicale essentia metaphysica est talis rei, cuius accidens metaphysicum est existentia, passionis autem metaphysicæ communes sunt tres potentia priores ad se mouendum, ad sentiendum, &c.

& ad rationem in duabus conspirat talis res cum brutis, & in tertiâ cum Angelis. Ultima denique potentia ad ridendum proprietas metaphysica est eius: quia soli homini, ad cuius speciem ea res pertinet, conuenit potentia ad ridendum. De quo iterum. Vide dicta *locis citatis*.

25 Hæc de essentia metaphysica rerum propria, & per se. Essentia autem metaphysica minus propria, & per accidens, quoduis concretum metaphysicum adiectiue sumptum dici poterit, quatenus de se ipso adæquatè per verbum substantiuum *esse* prædicabile est, iuxta ea, quæ in simili diximus n. 2. *de essentia per accidens physica*.

26 Iam vero essentia transcendentalis ea dicitur, quæ non solum in singulis rebus, sed in singulis etiam rerum formalitatibus, siue conceptibus obiectiuis reperitur. Nullus quippe est excogitabilis in rebus conceptus obiectiuus, qui non sit ipsemet essentialiter; atque adeo, qui non habeat propriam essentiam, etiam ut ab aliis prædictis, cum essentia nihil sit aliud, quàm id, quod quilibet essentialiter est in se. Vnde essentia transcendentalis partim coincidit cū physica & metaphysica; partim ad plura, quàm illa extenditur. Nā physica solum reperitur in singulis rebus realibus integrè acceptis. Metaphysica in singulis insuper concretis metaphysicis. Transcendentalis verò in singulis præterea rerum, & concretorum formalitatibus etiam abstractis. Quo iure transcendentalis dicitur. Erit autem talis per se, si conceptus, quibus conuenit, aut sunt abstracta, aut concreta substantiua. Per accidens autem, si concreta adiectiua, ut satis ex *superius* dictis liquidum est.

27 Denique essentia logica ea dicenda est, quæ ex genere, & ex differentiâ componitur. Erit autem illa talis per accidens, si reperiatur in concretis adiectiuis tam physicis, quàm metaphysicis iuxta *superius* dicta. Per se autem si in abstractis, aut etiam in concretis substantiuis. Vtrum autem in istis omnibus genus & differentiâ ad componendam essentiam logicam reperiri valeant, & quâ ratione, & an essentia physica, metaphysica, & transcendentalis compositionem etiam logicam ex genere & differentiâ aliquo modo subire possint, aut etiam debeant, alterius est considerationis. De quâ *suo loco* Id modo certum independentè ab huiusmodi compositione, & præcindendo ab illâ, optimè consistere posse harum trium essentiarum conceptus, ut ex eorum explicatione satis, superque notum est.

28 Superest dicendum de diuisionibus, quas ens ratione materia potest subire. Quæ quidem tam multæ sunt, ut omnes illas recensere, prorsus sit impossibile. Cum enim nulla res sit excogitabilis, aut existens, aut possibilis, quæ non sit ens, nulla erunt omnino genera, aut species rerum tum existentium, tum possibilium, in quas ens in sit diuisibile vel immediate, vel mediate. Quare impræsentiarum reliquis omnibus prætermisissis, de quibusdam tantum vniuersalioribus diuisionibus, per quas ens aut immediate, aut propè immediate diuiditur, mentionem aliquam tamen leuem facere non fuerit abs re.

29 Primò igitur diuiditur Ens in increatum, & creatum, siue in ens à se, & ens ab alio, hoc est in Deum & creaturas, quacumque demum ratione conceptus entis Deo, & creaturis communis sit, seu analogice, seu vniocè. De quo *infra suo loco*.

30 Secundò Ens in decem genera, quæ prædicamenta vocant, ab Arist. diuifum est, & ab aliis. Hæc sunt substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, *Pharus Scient. Tom. I.*

passio, ubi, quando, situs, habere verum, vtrum exacta sit hæc diuisio, & quâ ratione, quod multatè controuertunt, alibi à nobis determinatur. Vbi ea non immediata, sed mediata esse decernitur. Si quidem ens primò in substantiam, & accidens. Deinde accidens in illa nouè diuidendum venit. De singulis verò menbris diuidentibus huiusmodi diuisionis entis propriis in locis agitur.

Tertiò, ens vniuersè sumptum in ens relatum & 31 absolutum diuidi potest. In ens compositum & simplex. In ens spirituale, & corporeum. In ens supernaturale, & naturale. In ens necessarium & contingens. Aliique huiusmodi diuisionibus. Quibus etiam essentia vniuersè sumpta, aut etiam existentia diuidi potest. Sed de iis etiam suis propriis locis agendum ex professo est.

QVÆSTIO III.

Quid sit negatio entis in vniuersum.

D Vobis imprimis modis solet vsurpari negatio. 32 Primò pro negatiua propositione vocali affirmatiuæ opposita, atque etiam pro iudicio mentis illi correspondente. Secundò pro remotione ipsa, siue carentia entis, quæ in cuiusmodi propositio, iudiciumque sua negatione prætendunt. Ex quibus, distinctionis gratia, prima negatio actualis, secunda negatio obiectiua dicitur. Sed quoniam negatio obiectiua generatim sumpta deinde in negationem sumptam specialius (quæ etiam distinctionis gratia pura negatio nuncupabitur) & in priuationem diuidi solet, quarum prima carentia formæ in subiecto inepto, secunda carentia formæ in subiecto apto definiuntur, iuxta *inferius* dicenda, scire opus est de negatione obiectiua entis in vniuersum, prout negationem puram, & priuationem comprehendit, sermonem nobis esse *in presenti q.*

Circa quam prima sententia est. Negationem 33 entis aliquid esse reuerà existens, consistentemque in natura rerum, non quidem positium, sed negatiuum, ab omni que subinde ente positiuo distinctum, per quod positum nihilominus verè, existensque in naturâ rerum ab ipsâ naturâ rerum remouetur ens positium, cuius illud ex suo conceptu, & essentia remotio, siue negatio est. Itaque iuxta hanc sententiam negatio entis, quid reale negatiuum est enti oppositum verè, & realiter existens; atque adeo incipiens esse, dum ens, cui opponitur, desinit esse, & desinens esse, dum ens, cui opponitur, esse incipit; suamque proinde essentiam, atque existentiam obiectiue veram, affirmatiueque iudicabilem etiam à Deo, nec solum ab intellectu nostro consistam, habet. Sic tenent Conimb. lib. 1. *Physicæ* cap. ult. q. 7. art. 1. Rub. in log. *tract. de Enterationis* n. 13. & lib. 1. *Physicæ* *Tract. 5. q. 1. Soar. disp. 54. Metaph. sect. 4. & 5. Pert. Hurt. disp. 3. Phys. sec. 2. & disp. 9. Metaph. §. 66. & 72. Arriaga. disp. 2. Physicæ, sect. 12. & disp. 6. Metaph. sec. 5. Oued. contr. 12. Metaph. pun. 4. & plerique alij, præsertim Recentiores passim. Quorum vniuersis persuasio est, negationem aliquid negatiuum esse ab omni ente positiuo distinctum, & reuera existens modo dicto. Tamen interdum dum exactius conceptum negatiouis fatagunt explicare, id videantur negare subindicantes negationem nihil omnino esse reuera. Nonnulli tamen ex auctoribus huius*